

summa restituenda valorem absolute gravem non attingit vel saltem non multum excedit. Posset quoque pro valore aequivalente destrui e titulis debiti publici. In plerisque vero regionibus ineptus modus esset destruere pecuniam chartaceam (billets de banque), eo quod societas argentaria (banque) a qua emittuntur hujusmodi chartae, solet habere jura prorsus distincta a reipublicae juribus.

555. II. De loco.

1^o Qui unice *ex re accepta* restituere debet, non tenetur ad ulla expensas faciendas ut rem transmittat in alium locum in quo dominus versetur: sufficit ut dominum moneat qui, si rem ad se mitti cupiet, expensas solvere debeat.

2^o Qui tenetur *ex injusta acceptione*, debet suis sumptibus rem deferre ad locum in quo alter eam habiturus esset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta, deductis tamen expensis quas dominus eam servando vel deferendo debuisset facere.

Vix hodie in regionibus non omnino barbaris exoriri potest difficultas e magnitudine expensarum quae possessori malae fidei subeundae sint ad restitutionem perendam. Nam, ob comiteum facilitatem, plerumque res ipsa ad dominum parvis expensis remitti poterit; quodsi magnae expensae ideo faciendae essent, sufficeret rei valorem (mandat-poste, *accréditif sur la banque nationale*) ad eundem destinare. Si tamen quandoque nec ipse valor sine magnis expensis remitti possit, pauperibus distribuatur. Determinari autem nequit quantae praecise esse debeant illae expensae ut a restitutione ipsi domino faciendae excusent: attendatur ad divitias vel inopiam furis, ad valorem rei ablatae, ad damnum quod dominus ex illius privatione passurus sit. Cfr. S. Alph. n. 598.

556. III. De tempore.

1^o Restitutio per se *quamprimum* faciendae est, ne quis jure suo diutius privetur. Attamen, ut dilatio restitutionis grave peccatum constituat in eo qui tamen restituendi animum servat, oportet ut is cui restituendum est notabile damnum ex illa dilatione patiat, neque detur gravis ratio differendi ad tempus. Ob leviolem etiam rationem, dilatio ad breve tempus ab omni culpa excusabitur: quae brevitae e circumstantiis mensuranda erit. (Ball. P. n. 358)

2^o Eadem regula, ad dignoscendum *grave peccatum*, adhibenda est etiam cum eo qui, licet statim totum restituere possit, vult, sine causa sufficiente, rem tantum per partes reddere vel ad mortem usque servare, heredibus relicta cura restituendi. Praeter damnum quod ex ipsa dilatione oritur domino, hic etiam graviter invitae esse poterit ne peri-

culo exponatur numquam recuperandi rem suam, puta quia alter impotens fiet ad solvendum vel heredes restituere omittent. Attamen non raro fit ut homines ad haec damna vel pericula non satis attendant, praesertim quando restitutio tantum pauperibus vel causis piis faciendae est. Quare cavendum ne sine fructu a bona fide dejiciantur. (Ball. P. n. 361) Semper tamen exigendum ut statim testamentum scribant vel alia ratione impediunt ne, ipsis subito morientibus, omnis restitutio omittatur.

3^o Damna e *dilatione culpabili* orta, et saltem in confuso praevisa, reparanda sunt: siquidem e culpa theologica efficaciter oriuntur. Minime vero compensanda sunt damna prorsus extraordinaria: quippe quae praevideri nequeant.

Damna autem e *dilatione non culpabili* orta, per se reparanda non sunt, si restitutio non est faciendae e delicto: quia omnis injuria formalis abest. Quando vero e delicto oritur restituendi obligatio, communis sententia cum S. Alph. (n. 680) tenet damna ordinaria reparanda esse: quia vera causa talis damni manet prima acceptio formaliter injusta. Nihilominus non desunt AA. qui merito sententiam excusantem, saltem ut probabilem, amplectuntur: inter quos Navarrus, Dicastillo, La Croix, Ball. P. (n. 359) Arguunt ex eo quod justa dilatio, qualis hic supponitur, purgat moram: quare ita differens restitutionem non est injusta causa horum damnorum, nec potest censi creditor rationabiliter invitae.

N. B. De quantitate restituenda satis dictum est nn. 511 et 529 seqq.

§ 3. DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

557. Duplex illarum causarum species distinguenda est: una, earum quae sufficiunt tantum ut differatur restitutio, tamdiu nempe quamdiu et ipsae persistunt; altera, earum quae ad omittendam simpliciter restitutionem per se pertingunt.

I. CAUSAE DIFFERENDI RESTITUTIONEM.

Nullatenus ambigi potest quominus liceat restitutionem differre quando *physice impossibilis* est, ut si non habeas, nec habere possis quod restituendum est. Excusat quoque a restitutione statim faciendae *impossibilitas moralis* seu grave damnum quod ex ea oriretur, sive debitori, sive creditori, sive tertio: tunc enim creditor eam urgere nequit, salva caritate, quam justitia evertere nequit. Cfr. D'Annib. II. n. 223. Hinc illa generalis regula, quam Laymann (l. 3. tr. 2. c. 12. n. 1) communem doctrinam esse testatur: neminem teneri ad restituendum cum suo notabiliter majore detrimento quam sit creditoris commodum,

Manifestum autem est hoc detrimentum oriri debere non ex nudo restituendi praecepto, sed ex specialibus rerum et personarum adjunctis. Ideo restitutio ad tempus differri potest :

1^o Si debitor eam facere nequit quin decidat e statu suo juste acquisito, puta mercatoris, negotiatoris, etc. Hoc autem probabiliter valet etiamsi quis culpa sua, ex. gr. luxuria, ludo, crapula, se in tales angustias dejecit. (S. Alph. n. 702) At si status injuste acquisitus esset, ex. gr. si pauper testamento quodam supposito pinguem hereditatem acquisivisset, per se statim esset restituendum : is enim non tam excideret a statu suo quam ad suum rediret. Videndum tamen num forte, ob infamiam gravem incurrendam, ad tempus excusaretur.

Quando ratio légitima differendi restitutionem ex hoc capite habetur, viget tamen obligatio minuendi expensas et parce vivendi, quantum, servato statu, fieri poterit, ut quam citissime summa restitutioni necessaria comparetur.

2^o Si debitor eam nunc facere nequit, nisi cum gravi damno in bonis juste acquisitis, quod, dilata restitutione, vitaret, ex. gr. si deberet agricola se privare frumento vel pecunia quae ipsi necessaria sint ut agros colat, si quis deberet vendere obligationes Status cum magno detrimento, etc.

Attamen si creditor aequale detrimentum e dilatione passurus est, ex. gr. si et ipse, ob omissam restitutionem, agros colere nequeat vel bona sua cum magno detrimento vendere debeat, restitutio facienda est : nam jus ad rem restituendam est penes creditorem, quo jure nequit illum spoliare debitor ad damnum vitandum, quando par damnum illi imminet. Hoc probabiliter valet, etiam quando uterque in extrema necessitate constitutus est, res autem furto subtracta est ; quia ipsa extrema necessitas non dat jus usurpandi et sibi appropriandi rem alienam, quando ejus dominus jam est in aequali necessitate. (Lugo, disp. 21. n. 4) Alii tamen probabiliter opinantur, in necessitate extrema utriusque, omitti posse restitutionem, nisi praecise ob subtractionem illam dominus in extremam necessitatem sit conjectus. (S. Alph. n. 107)

Si tum debitor, tum creditor in gravi necessitate versantur, datur duplex sententia probabilis. (S. Alph. n. 703) Practice vix fieri potest ut qui jam ante restitutionem in necessitate gravi versetur, ea facta, non incidat in quasi-extremam : unde patet tunc ipsi gravius damnum imminere quam creditori, ideoque restitutionem differri posse. (Ball. P. n. 405)

3^o Si debitor restituere nequit sine gravi damno in bonis altioris ordinis, ex. gr. in vita vel fama. Haec tamen ratio ut valeat, necesse est ut nulla pateat via indirecta, qua vitetur hoc periculum, qualis esset restitutio per confessarium.

Similiter dicendum, si restitui nequit sine gravi periculo spirituali pro restituente vel ipsius familia, ex. gr. si, ob inopiam inde securam, grave periculum oriretur ne filiae se prostituerent.

4^o Si e restitutione imminet grave damnum creditori vel tertio, puta si creditor repetit gladium suum ad homicidium patrandum, vel librum pravum ad lectionem peccaminosam instituendam, etc. Immo etiam, quando sine gravi incommodo differri potest, e caritate oritur differendi obligatio. (Lugo, disp. 21. n. 26)

N. B. Interdum possent hujusmodi causae perseverantes ab obligatione restituendi etiam in perpetuum excusare, difficilius tamen si eadem ex delicto quam si aliunde oriretur. Plerumque poterit, sin minus integra summa, saltem pars illius, vel nunc vel postea restitui. (Lugo, l. c. n. 19 seqq.)

558. II. CAUSAE OMITTENDI RESTITUTIONEM.

Jam de pluribus causis supra actum est, nempe de praescriptione liberativa (n. 493), de occulta compensatione, per quam ipse creditor sibi restituit (n. 504), de paupertate ob quam debitor sibi applicare potest rem incerto creditori solvendam. (n. 552) Praeterea recenseri possunt :

1^o **Remissio a creditore facta**, expressa, tacita (ex. gr. lacerato debiti chirographo), vel etiam rationabiliter praesumpta. Praesumi autem potest quotienscumque debitori fas est prudenter existimare creditorem, si remissio ab ipso peteretur, consensurum esse. Tunc enim desinit esse injusta rei alienae detentio. Sic multotiens excusantur filii familias a restituenda pecunia parentibus subducta jamque expensa, praesertim si summa non ita magna est vel non nisi aegerrime restitui potest.

Ut autem valida sit remissio, duae condiciones requiruntur :

a) Ut sit plane libera, non autem metu, vi vel fraude extorta : haec enim donatio est, quae essentialiter omnimodam libertatem requirit. Ideo nulla esset remissio quam debitor, paupertatem fingendo vel lites minando, obtinisset.

b) Ut fiat ab eo qui condonandi potestatem habet. Haec autem iis tantum competit qui bonorum condonandorum tum proprietatem, tum administrationem habent. Ideo nulla esset remissio quae fieret a minorenni quoad bona sua, ab uxore quoad bona communia, ab administratoribus quoad bona societatis, nisi forte de rebus parvi momenti ageretur.

2^o **Solutio creditori creditoris immediati.**

Haec manifeste aequalitatem laesam restituit, si per hanc solutionem creditor immediatus reapse liberatur ab onere solvendi aequalem summam creditori suo. Ideo, saltem in conscientiae foro, debitor ab obligatione

restituendi solvetur. Supponitur tamen, ut per se liquet, non agi de casu quo alter creditor, propter immediati creditoris impotentiam ad satisfaciendum omnibus, nihil aut partem tantum crediti sui recepturus erat. Talis autem mutatio fit prorsus licita ob causam rationabilem, quae praesertim habebitur quando, servato ordine solito, alter creditor jus suum recuperare nequiret.

3^o **Compensatio**, qua debitum utrimque aequale exstinguitur. Necessarium autem est ut utrumque debitum sit certum et e justitia commutativa ortum. Ita liceret compensare debitum tribuendo officium saeculare, quod vendi solet pretio aequivalente.

Huc quoque refertur donatio quam debitor, debiti sui immemor, creditori facit. Haec, juxta probabilioris sententiam, debitum totaliter vel partialiter, pro quantitate utriusque, exstinguit. Nam ex parte debitoris, supponenda est voluntas satisfaciendi obligationi strictae justitiae potius quam mera liberalitate donandi; ex parte creditoris, habetur solida ratio existimandi eum sponte in compensationem consentire, cum receperit id omne ad quod jus habebat. (Ball. P. n. 419) Qui negantem sententiam tenent, concedunt tamen satisfieri si restitutio facienda est pauperibus vel causis piis, ac proinde a summa restituenda deduci posse eleemosynas factas a tempore contractae obligationis restituendi. (S. Alph. n. 700)

4^o **Compositio a Rom. Pont. obtenta**. Haec conceditur tantum pro bonis incertis, seu quae causis piis applicanda sunt, quia dominus ignotus est vel adiri nequit vel quia nemo graviter laesus est, nec potest commode singulis leviter laesis compensari damnum, etc. In his adjunctis concedi solet a S. Sede ut, exigua quadam parte bonorum restituendorum piis causis attributa, reliquam sibi servet qui restitutione tenebatur. In quibusdam regionibus compositio hujusmodi conceditur Bulla Cruciatæ; in aliis obtineri potest recurrendo ad S. Datariam vel Poenitentiarum. Facultates hujus ultimi tribunalis in compositionibus concedendis videsis in Const. Bened. XIV *Pastor bonus*. Pro vario fonte in quem refunditur obligatio distribuendi causis piis bona incerta ex delicto restituenda (n. 552); haec concessio S. Sedis dicitur dispensatio in Jure Canonico vel usus potestatis indirectae quae R. Pontifici in temporalia competit. Probabilius is cui concessa est Compositio jam nihil domino comparenti restituere tenetur, eo quod donatio ipsi a S. Sede absolute facta esse videtur. Cfr. Lugo, disp. 21. sect. 7; Ball. P. n. 387 seqq.

559. SHOLION. Interdum S. Sedes plenam condonationem elargita est iis qui bona ecclesiastica injuste occupaverant vel ab aliis acceperant. Celebris est pro regionibus nostris condonatio facta a Pio PP. VII,

per Concordatum anno 1801 cum Napoleone I initum (a. 13), et pluribus aliis Pontificiis documentis explicata. His accessit pro Belgio declaratio ab episcopis nostris mense Januario 1834, e speciali Gregorii PP. XVI facultate, edita: articulum illum extendi ad omnia bona quae gubernium occupasset, tam ad ea quae post Concordatum alienasset quam ad ea quae adhuc detineret. In Belgio igitur, ubi de legitima proprietate bonorum olim ecclesiasticorum inquiritur, hae duae regulae sunt attendendae:

1^o Omnia bona quae occupata sunt a gubernio, ab initio Gallicae perturbationis usque ad mensem Januarium 1834, sunt per se legitima proprietates gubernii vel privatorum. Onera autem iis bonis adnexa, si ad privatos pertinebant, nullatenus remissa sunt, quamvis saepe jam praescriptione evanuerint; si ad Ecclesiam pertinebant, seu temporalia, seu spiritualia fuerint, condonatione comprehenduntur. *Hortandi* tantum sunt possessores ut pia onera, puta Missarum celebrandarum, exsequantur. (S. Poenit. 20 Mart. 1812)

2^o Bona a privatis occupata et ab iisdem jugiter possessa, numquam condonata sunt: ideo per se recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem, quae per Compositionem possessionem sanabit. Attamen videndum num forsitan per praescriptionem jam transiverint in dominium eorum qui ea bona fide detinebant: haec enim bona fides, quae in primis occupantibus reperiri non poterat, jam facilius in mediatis heredibus vel acquiritoribus continget. (Craisson, Man. J. C. n. 5270; Marres, l. 2. n. 175) Regulariter sufficit possessio pacifica per 40 annos, at multi Ordines Regulares privilegio gaudent quo tantum per 60 annorum possessionem contra eos praescribi possit. In praxi, ubi commode fieri poterit, melius paci et securitati conscientiarum consulatur recurrendo ad S. Sedem.

Similiter dicendum videtur de bonis quae Josephus II monasteriis eripuit: nulla enim generalis illorum condonatio facta est. Attamen, si per manus gubernii transierunt a perturbatione Gallica usque ad annum 1834, in condonatione Pii VII et Gregorii XVI comprehenduntur. (Van der Moere, de Just. App. de divenditis bonis eccl.) Neque aliter dicendum censemus de bonis suppressae Societatis Jesu. Ea enim a singulis episcopis, Breve suppressionis publicantibus, nomine S. Sedis apprehendenda erant, ut patet e Litteris quas 18 Augusti 1773 ad singulos episcopos misit Congregatio particularis de abolenda Societate Jesu, a Clemente XIV instituta. Verum pleraque gubernia eadem bona tamquam sua occupavere, neque umquam specialis condonatio pro iisdem facta est. Cfr. Aichner, op. cit. § 229.

Quae de bonis ecclesiasticis hic dicta sunt, de mobilibus aequae ac de immobilibus procedunt. Verum quidem est in quibusdam adjunctis,

de quibus loquitur Bened. XIV (Litteris 19 Martii 1752), facilius mobilia quam immobilia retineri posse vel haberi tamquam propria, ex praesumpta voluntate domini qui reperiri non posset, ut advertit Lehm. (l. n. 1041) Vix tamen verificabitur ista hypothesis de bonis ecclesiasticis. Sed mobilia facilius quam immobilia bona fide possideri et praescribi poterunt.

CAPUT VI.

DE RESTITUTIONIBUS QUIBUSDAM IN SPECIE.

§ I. DE LAESIONE IN BONIS SPIRITUALIBUS.

560. I. Spiritualia hic intelleguntur non tantum bona *supernaturalia* vel animae saluti conducentia, sed et *naturalia*, ex. gr. usus liberi arbitrii, scientia. Dubium non est quin, etiam in hujusmodi rebus, gravis injuria fieri possit ac proinde restituendum sit, dummodo restitutio sit possibilis. Hinc :

1° Qui alium veneno vel potionem privaret usu rationis, peccaret graviter contra justitiam. Ideo, damno illato, teneretur remedia idonea, si qua forent, suppeditare quibus rationis usus recuperaretur, insuper omnia damna inde secuta et saltem in confuso praevisa reparare. (Lugo, disp. 9. n. 1)

3° Qui alium per fraudem in errorem practicum induxit, ex quo aliud malum praeter errorem sequi possit, tenetur ad auferendum errorem et ad compensanda omnia damna quae ex eo secuta sint, sive decepto, sive tertio, nisi forent extraordinaria et quae nullatenus praevideri possent.

3° In erroribus speculativis obtrudendis generatim non nisi levis injuria committitur : quia malum illud intellectuale per se parvi momenti est. Attamen gravis injuria fieret, si error ille versaretur circa principalia et gravia fidei dogmata, vel si quis, praeceptoris officium exercens, errores tot vel tam fundamentales doceret ut discipulorum error pejor esset quam praecedens eorum incertitia : in utroque enim casu grave detrimentum deceptis inferretur. (Lugo, l. c. n. 5 seqq.)

4° Si quis alium per vim, dolum aut fraudem ad peccandum induxit, tenetur ad restituendum, nempe ad auferendam vim, dolum vel fraudem et ad compensanda damna; si vero induxit alia ratione, ad restituendum

non tenetur, nisi peccatum ad quod induxit justitiae commutativae adversetur, ex. gr. furtum, detractio. Ratio discriminis est quod, in priore casu, violatur jus strictum alterius ne vi, dolo vel fraude aliquid malum ei inferatur; in posteriore autem, valet axioma : Scienti et volenti non fit injuria. Ultima exceptio, de inducente ad peccatum contra justitiam commutativam, patet ex iis quae de consulente dicta sunt. (n. 537)

5° Si is qui per metum vel fraudem ad peccandum inductus est, invincibiliter ignorat peccatum a se commissum vel remedium ad recuperandam gratiam, ideoque de remedio contra peccatum non curat, is qui eum ad peccandum induxit ex justitia tenetur ad ostendendum illi remedium vel remedii necessitatem : haud secus ac qui venenum alteri praebuit, ex justitia obligatur ad antidotum praebendum. Sed obligatio justitiae corrumpit ex quo inductus ad peccandum novit et peccatum quod fecit et remedium quod adhibere potest : ipse enim hanc obligationem relaxat, dum non vult se liberare cum possit. Maneret tamen restituendi obligatio quoad alia mala temporalia vel spiritualia quae e tali peccato promanassent, puta si fraude ad peccandum inductus propterea expulsus esset e collegio vel famulatu in quo versabatur. (Lugo, l. c. n. 13)

561. II. Regula generalis est, in hac et sequentibus laesionum speciebus attendenda : probabilius non esse obligationem compensandi bona unius ordinis per bona alterius ordinis, puta vitam vel famam ablatam per pecuniam vel subsidia spiritualia. Ratio autem est, quia justitia commutativa pro formali objecto habet aequalitatem : quare, ubi aequalitas poni nequit, non habet locum obligatio strictae justitiae. Jamvero liquet nullam aequalitatem poni posse inter bona diversi ordinis, puta inter vitam hominis et pecuniam. Nec juvat ratio quam quidam AA. pro contraria sententia afferunt : justitiam poscere ut, ubi plena compensatio fieri nequit, saltem imperfecte et ex parte fiat. Nam restitutio ad hoc tendit ut nemo habeat e bonis suis minus quam habere debeat. Jamvero, si fieret compensatio per bona alius ordinis, ex. gr. famae per pecuniam, is qui laesus est semper pergeret totaliter carere re sua, ex. gr. fama qua injuste spoliatus est. (Lugo, disp. 11. n. 10; S. Alph. n. 627.)

Attamen aequitati naturali prorsus consonum est ut, qui alios in bonis unius ordinis laeserunt, a iudice damnentur ut damnum bonis alius ordinis compensent, puta detrimentum famae per pecuniam, cum perfectior reparatio saepe sit impossibilis : quare haec sententia, nisi naturalis aequitatis et consuetudinis limites excedat, in conscientia